

lut ad Maorium lacū ab ore discedens, Scythici arcus (ut autor est M. Varro) similitudine. Primus sinus appellatur Scythicus, utrinque enim accolunt Scythae, & per angustias inter se cōmeant, hinc Nomades & Sauromatae multis nominibus, illinc Abzoae non paucioribus. Ab introitu dextra, mucronē ipsum faucium tenent Vdini, Scytharū populus: dein per oram Albanū (ut ferūt) ab Iasone orti. Ante quos mare quod ē, Albanum nominatur. Hae gens superfusa montibus Caucasais ad Cyrum anmem, Armeniae confinium atque Iberia, descendit, ut dictum est. Super maritima eius, Vdinorumque gentem Sarmatae, Vtidorsi, Arotetes praetenduntur: quorū à tergo indicata iam Amazones Sauromatides. Flumina per Albaniam decurrunt in mare, Cassios & Albanos: deinde Cambyses in Caucasais ortus motibus: mox Cyrus in Coraxicis, ut diximus. Oram omnē à Caucaso praetaltis rupibus inaccessio, patere ccccxxv. M. pass. autor est Agrippa. A Cyro Caspium mare vocari incipit, accolūt Caspij. Corrigendus est error in hoc loco multorum, & eorum etiam qui in Armenia res proxime cum Corbulone gessere. Namque hi Caspias appellauere portas Iberia, quas Caucasiae diximus vocari: situsque depicti, & inde missi, hoc nomē inscriptum habent. Et Neronis principis cōminatio, ad Caspias portas tēdere dicebatur, cū peteret illas, quae per Iberiam in Sarmatas tēdunt, vix illo propter appositos mōtes aditu. Ad Caspium mare sunt aliae Caspij gentibus iunctae: quod dignosci non potest, nisi comitatu rerū Alexandri Magni. Namque Persarum regna, quae nunc Parthorū intelligimus, inter duo maria Persicum & Hyrcanum Caucasais iugis attollūtur: utrinque per deuexa laterū Armeniae maiori, à frontis parte quae vergit in Comagenem, Sophene (ut diximus) copulatur, eiq; Adiabene Assyriorū iūtiū. cuius pars est Arbelitis, ubi Dariū Alexander debellauit, proxima Syria: totā eam Macedones Mygdonia cognominauerunt à similitudine. Oppida, Alexandria, item Antiochia quam Nisibin uocant. Abest ab Artaxatis d. ccl. M. pass. Fuit & Ninus imposita Tigri, ad solis occasum spectās, quondam clarissima. Reliqua uero fronte qua tendit ad Caspium mare, Atropatene, ab Armeniae Otene regione discreta Araxe. Oppidum eius Gazae ab Artaxatis quadringenta quinquaginta M. pass. Totidem ab Ecbatani Medorū, quorum pars sunt Atropateni.

Media, Caspiae portae. CAP. XIII.

Ecbatana caput Mediae, Seleucus rex cōdidit: à Seleucia magna d. ccl. M. pass. à portis uero Caspijs xx. M. Reliqua Medorū oppida, Phausia, Agāzua, Apamia, Raphane cognominata. Causa portarū nois eadē quae supra, interruptis angusto trāsitū iugis, ita ut vix singula meent plaustra, longitudine viij. M. pass. toto opere manu factō. Dextera lauaque ambustis similes impēdent scopuli sitiente tractu per xxxviij. M. pass. Angustias impedit corruatus salis e cautibus liquor, atque eadem emissus. Praterea serpen-

tium multitudo, nisi hyeme, transitum non sinit.

Gentes circa Hyrcanum mare. CAP. XV.

Diabenis cōnectūtur Carduchi quondam dicti, nunc Cordueni, praesente Tigri: his Pratitae Paredoni appellati, qui tenēt Caspias portas. Iis à latere altero occurrunt deserta Parthiae, & Citheni iuga. Mox eiusdē Parthiae amoenissimus * situs, qui uocatur Choara. Duae urbes ibi Parthorū, appositae quondam Medis, Calliope, et alia in rupe Issatis quondam. Ipsius uero Parthiae caput Hecatompylos abest à portis cxxxiiij. M. pass. Ita Parthorū quoque regna foribus discluduntur. Egressos portis excipit protinus gens Caspia, ad litora usque, quae nomen portis et mari dedit. Laeva montosa. Ab ea gente retrorsus ad Cyrum anmē produntur cxxx. M. pass. Ab eodē anmē si subeat ad portas d. cc. M. pass. Hunc enim deinde cardinē Alexandri Magni itinera fecere, ab ijs portis ad Indiae principium stadia xv. M. d. clxxx. prodendo: ad Baetra oppidum, quod appellant Zariaspae, tria M. d. cc. Inde ad Iaxartem anmem v. M.

Item aliae gentes.

CAP. XVI.

Caspijs ad orientē uersus regio est Zapauortene dicta, et in ea fertilitatis inclyte locus Dariem. mox gentes Tapyri, Anariaci, Stauri, Hyrcani, à quorū littoribus idē mare Hyrcanū uocari incipit à flumine Syderi. Circa id anmē Mazeras, Stratos, omnia ex Caucaso. Sequitur regio Margiane apricitatis inclyte, sola in eo tractu uitifera, undique inclusa motibus amoenis ambitu stadiorum mille quingentorū, difficilis aditu propter harenosas solitudines p. cxx. M. pass. et ipsa cōtra Parthiae tractum sita, in qua Alexander Alexandria cōdiderat: qua diruta à Barbaris, Antiochus Seleuci filius, eodem loco restituit Syriam interfluente Margo, qui corruatur in Totale. is maluerat illam Antiochiam appellari. Urbis amplitudo circuitu lxx. stad. In hanc Orodus Romanos Crassiana clade captos deduxit. Ab huius excelsis per iuga Caucasi protenditur ad Baetros usque, gens Mardorū, fera, sui iuris. Ab eo tractu gētes Ochani, Chomari, Berdrigei, Harmatotrophi, Bomarei, Commani, Marucei, Mandrueni, Iatij. Flumina Mandrū, Cridinū: Ultraque, Chorasini, Gandari, Attasini, Paricani, Sarāgae, Parrhasini, Maratiani, Nasotiani, Aorsi, Gela, quos Graeci Cadusios appellauerunt, Matiani. Oppidū Heracleas, ab Alexandro cōditū: quod deinde subuersum ac restitutum, Antiochus Achaida appellauit: Derbices, quorū medios fines secat Oxus amnis, ortus in lacu Oxo: Syrmatē, Oxij, Fage, Heniochi, Bateni, Saraparae, Baetri, quorum oppidū Zariaspae, quod postea Baetrum à flumine appellatum est. Gens haec obtinet auersa montis Paropamissi, ex aduerso fontis Indi: includitur flumine Ocho. Ultra Sogdiani, oppidū Panda, & in ultimis eorum finibus Alexandria, ab Alexandro magno conditum. Arae ibi sunt ab Hercule ac Libero patre constitutae, item Cyro & Semiramide atque Alexandro: finis omnium eorum

eorum